affgevveſen. dar vvard ſolcke geſchrichte van Fravven vnde Manne, dat yd vnſprecklick is, ſo dat eyn na dem andern iagede na der treppen, vnde Biſchop Lodevvich ſprangk van dem danſe, vnde vvolde dem volcke ſturen, dat ſe nicht alſo en drunghen. Mit dem dranghe quam he ſulven midden vpp de treppen. Dar vvas ſo dan drangh, dat neymet hinder vvord edder vorvvord konde komen. De treppe de brach, vnde vel dardal, dar vellen vvol dre hundert mydde nedder, vnde dar bleyff nymet van dot, vvan de Biſchopp Lodevvich ſulff dritte. Itlike Fravven vnde Mans de ſprungen vt den fenſtern, vnde vellen knoken vnde arm entvvey, ſo den ſchricht vvas dar. VVol geſchach dar neyne ſchade van den fure: dat brende kum eines ſcheppel bodden breyt, dar hedde nement not gehat, hedden ſe vpp dem huſe gebleven. Alſus vvas Lodevvich nich lengk eyn Biſchopp, vvan van Sunte Laurencius daghe an vvente des Dinxſedages im leſten Vaſtelavende. alſo vvart he dot to Meydeborch gevôret, vnde begraven in dem nyen Dom. Conf. *Langius* chron. Citizenſi p. 843, auctor *chronici terræ Miſnenſis*, quem *Struuius* e mſcr. eruit, p. 48.

2) Exſpirauit autem tertiis demum Bacchanalibus, cum id pridie factum eſſet, vt *Meibomius* notat in chronico monaſterii Bergenſis p. 305; qui tamen neſcio quo memoriæ lapſu an. MCCCLXXXIII, XII Kalend. Iun. mortuum ſubdit.

3) *Sepelitur in ſacello palatii Archiepiſcopalis ibidem, quod S. Gangolpho dedicatum eſt*, vulgo *inteſtinorum ſacellum* dictum. Ita *Latomus* in catalogo; cum quo confer, quæ iam ſupra e *Chronico Magdeburgenſi* allata ſunt. *ſepelitur Magdeburgi*

4) Cum chorearum, quam ſacrorum ſtudioſior fuiſſet, a nimia ſaltandi leuitate *Saltarelli* cognomen adeptus eſt. *Hofmannus* annalium Bambergenſium lib. IV § CLV p. 208. *Saltarellus cognominatur.*

5) Cardinalium numero ab Vrbano adſcriptum *Onuphrius Panuinius* tradit. quem ſequitur *Mallinkrot* de Cardinalibus S. R. E. Germanis n. XVII p. 514 & ſeq. Mallinkrotium vero *Tenzelius* l. d. p. 214. Atenim nullus dubito, quin *Onuphrius* errarit, & pro Adolfo Naſſouio poſuerit *Ludouicum de Miſna*; quandoquidem nec temporis, nec circumſtantiarum, quas *Theodericus Niem* attingit, ratio permittit, vt Ludouicum ad titulos iſtos adſumtum fuiſſe, dici poſſit. *haud fuit Cardinalis.*

Palatius, *in quem incidi, cum hæc iam ſcripſiſſem, tomo II ſub Vrbano VI n. 39 col. 66*; De hoc Cardinali (*Adolfo ſcilicet Naſſouio*) nulla mentio apud Panuinium, qui in ſerie Cardinalium, qui pileum reſpuerunt, Adolfi loco ponit *Ludouicum* de *Miſna* Archiepiſcopum Moguntinum.

ADOLFVS.

gente fuit Naſſonius.

1) Natus fuit patre *Adolfo*, *Gerlaci I* filio, matre *Margareta*, *Friderici IV* Burggrauii Norimbergenſis, filia. quo iuuabit ſequens inſpicere ſchema.

Edit. I p. 862

ADOLFVS
vx. *Imagina*, f. *Gerlaci* Limpurgenſis.

Gerlacus, *Rupertus*, *Mechtildis*.
vx. 1) *Agnes*.
2) *Irmengardis*.

1 1 1 2 2

a) *Adolfus*, b) vx. *Margareta*, f. *Friderici IV*, Burggratiii Norimberg. | a) *Ioannes*. | a) GERLACVS, *Archiepiſcopus Moguntinus*. | *Crato*. | **Rupertus*.

*ADOLFVS, *Epiſcopus Spirenſis*, *Archiepiſcopus Moguntinus*. | * *Walramus*, occur. adhuc an. 1384. †vx. *Bertha*, f. *Reinharti*, Domini *de* Weſterburg. | *†IOANNES, *Archiepiſcopus Moguntinus*, | ** *Gerlacus*. 1368.

† *Adolfus*, factus an. 1404 ſupremus locorum Moguntinorum in Haſſia Præfectus.

†† *Margareta*, vxor *Henrici*, Comitis *de* Waldeck, d. an. 1398.

a) *VVir* Gerlach *E. z. M.—bekennen, daſs*— Adolf *vnd* Iohann, *vnſere Brüder, Graven zu Naſſavve* &c. *Eltvil* 1355, *in die Catharinæ Virginis.*

b) Ita quidem vocata fuit, non *Anna*, vt nonnullis viſum. Quo minus dubites, afferam verba *Gurckfelderi* in notis mſcr. ad *Monningeri* genealogiam Burggratiorum Norimbergenſium mſcr. p. 116 codicis Vffenbachiani; *Fraulein* Margreth, *Burggraff* Fridtrichs *Tochter*, *Graff* Adolphs *von* Naſſauw *Gemahlin, hat ſich neben ihrem Gemahl aller der güter, ſo von ihrem Vater Burggraff* Fridtrichen *an ſie gefallen verzihen; doch da Burggraff* Hannſs *ohne leibserben abgehen vvurdte, ſollte ihme von Naſſauvv ſo vvohl, alſs andern Burggrav* Fridtrichs *tochtern, geliehen vverden. Dabei ſeynt gevveſt ſein von* Naſſauw *Schvvigermutter* Margreth, *Burggraffs* Fridtrichs *hinterlaſsene VVittib*, *vnd* Ludwig *von* Hohenloe *ſein Schvvager*, Burckhardt *von* Seckendorff, *Vogt zu Onoltzbach. Actum* 1337, *Freitags vor Egidien. Ex Archivo Onolsbacenſi. Monningero* l. d. p. 106 itidem *Margareta* dicitur.

* *VVir* Adolf *E. z. M.—bekennen,—daſs vvir ſchuldig ſin dem Edlen vnſerem lieben Vetter* Ruprecht, *Graven zu Naſſavve*, Annen, *ſiner elichen Husfrauvven*, —— 6 .. —— *Sezen vvir ym zvvolff giſel, mit namen* —— Walram, *Graven* zu *Naſſauvve, vnſern lieben Bruder*, Ludewig, *Graven* zu *Rieneck, vnſern lieben Neven*, Gerlach *vnd* Gotzen *von* Hohenloch, *gebrüdere, vnſere liebe Oheime*, Eberhard *Hern* zu *Eppinſtein, vnſern lieben Svvager*, Reinhard *Hern* zu *VVeſterburg, vnſern lieben Svvager* &c. *Eltvil* 1377, *feria tertia proxima poſt diem S. Remigii.*

VVir Adolf *E. z. M.— Als der Edel, vnſer Bruder*, Walram *Grave* zu *Naſſavv* &c. 1384.

* † *VVir* Iohann *E. z. M.— bekennen, als der Ervvurdige, vnſer lieber Herr vnd Bruder ſelige, Herr* Adolf. *E. z. M. vnſer vorfahr* &c. *Mülhuſen feria quinta poſt dominicam* Iudica 1398.

** *VVir* Gerlach, *E. z. M.— daſs vvir* Gerlachen, *Graven* von *Naſſavve, vnſers Bruders, Grav* Adolfs, *Son* &c. 1368.

† *VVir* Iohann *E. z. M.— Als der Edel, vnſer lieber Vetter*, Adolf, *Grave* zu *Naſſavve, von der Edlen* Berthen *von* Weſterburg, *ſiner Muder, vnſer lieben Svvegerinne* &c. 1404.

†† *VVir* Iohann *E. z. M.— bekennen, daſs ein fruntſchaft zvviſchen dem Edlen* Henrich *Graven* zu *VValdecke*, *vnd* Margreten *von* Naſſaue, *vnſers Bruders, Grav* Walrams *von* Naſſaue *ſeligen, Tochtere, bered vnd gemacht iſt, alſo daſs derſelbe Grav* Henrich *die egenante* Margrete *zu eyme elichin VVibe nemen vnd haben ſoll* &c. *Eltvil vff Dienſtag nach S. Bartholomeus — tag*, 1398. Quod notari velim, cum *Klettenbergius* in libro vernaculo, *VValdeckiſcher Regenten-Saal* inſcripto, *Margaretam* hanc *Ioannis* Comitis Naſſouii filiam vocet.

ſit Epiſcopus Spirenſis. 2) Quum, Gerlaci poſt deceſſum, ad Pontificatum Moguntinenſem a Papa haud admiſſus fuiſſet, Lamberto, qui Sedem Spirenſem cum Argentoratenſi commutauit, ſucceſſor, datus, cathedram in Nemetibus inſedit. *Lehmannus* chron. Spirenſ. lib. VII cap. LVIII p. 730.

eligitur a 3) A Moguntinenſibus poſt Ioannis Lützelburgii obitum denuo expetitus, omni allaborabat opera, vt a Gregorio XI confirmaretur. Viginti duo millia florenorum corrogaſſe, eique miſiſſe, animum illius vt expugnaret, *Miſcella* noſtra produnt, ſimulque reterunt, Papam, quamuis ante bonam ſemper ſpem ipſi iniecerit, pecunia tamen accepta, precibus Caroli IV annuiſſe, ac Ludouicum Bun-

Moguntinēſibus, ſed a Pontifice haud approbatur.

Bambergenſem Sedi Moguntinæ deſtinaſſe. Sedenim iuuabit, ipſa illorum verba f. 115a) adducere. *Poſtea cum Papa Gregorius recepiſſet XXII millia florenor. quos Adolfus ſibi nomine decimæ a Clero dioceſis Mogunt. & a ſe ipſo procurauerat, & miſit, & cum iam prædictus Adolfus firmiter putaret, ſe confirmari per Papam, idem Papa, deludendo ipſum, quamuis antea ſemper ſibi bonum finem ſpopondiſſet, ipſo amoto prouidit Ludouico, Bambergenſi Epiſcopo, de ſede Moguntin. & quales inde inſolentiæ, pericula, mala, & incommodæ in Alemannia ſunt exorta, videat Deus, & iudicet auctores tanti mali.*

munita Archiepiſcopatus loca ſibi fidis committit.

4) Interim ipſe caſtella, oppidaque Archiepiſcopatus in finibus Haſſiæ & Thuringiæ munitiora fidis ſibi hominibus commiſit tuenda. *In menſe Auguſto*, ita *Miſcella* dicta, *Adolfus electus Archiepiſcopus tranſtulit ſe cum magno armatorum comitatu ad partes Haſſiæ, VVeſtphaliæ, Saxoniæ, & alibi, vbi erant munitiones eccleſiæ Magunt. & omnes fecerunt ſibi homagium, reſpuentes Ludouicum, quem Papa ordinauerat Archiepiſcopum Magunt. & ortæ ſunt graues guerræ inter ipſum & Marggrauios.* Conf. *Trithemius* chron. Hirſaug. ad an. MCCCLXXII p. 261.

aum Ludouico committit.

5) Ad hoſtiles inde machinationes deuentum, recte notarunt *Miſcella* dicta. *Initium belli* (Adolfus) *faciens, quoscunque deprehendebat Ludouici eſſe partium, eos aut ſpoliabat, aut multabat ære: vinctos vero tenebat, quos ſibi præcipue nocere poſſe exiſtimabat. Ludouico qui ſtudebant, idem faciebant, & ipſe edicta Pontificia templis vndique affigebat, quæ damnarent aduerſarios, ſuam cauſſam probarent: itaque non parum multos nomine Pontificio terruit, & odium eis armorum iniecit.* Ita quidem *Fabricius* Origin. Saxon. lib. VI p. 667. *Miſcella* vero, quod Adolfus menſe Octob. cum magna armatorum manu terras Marchionum Miſnenſium & Comitum Schwartzburgiorum inuaſerit, propterea quod Marchiones duo caſtra, *Salza* ſcilicet & *Biſchoffs-guttern*, intercepiſſent.

auxiliarios ſibi adſciſcit

6) Vti vero hoſtibus par eſſet, tempeſtiue ſibi circumſpexit de auxiliis. Et anno quidem ſequenti MCCCLXXV, litteris dominica *Lætare* datis, aduerſus iſtos in ſocietatem coiuit cum *Henrico* & *Erneſto*, Comitibus Glichenſibus, *Henrico*, Comite Stolbergenſi, *Henrico*, Comite Hoenſteinenſi, Domino Clettenbergæ, nec non ciuitatibus *Erfordiæ*, *Mulhuſa*, & *Northuſa*. Factum autem id certis conditionibus. Præter mutuum enim auxilium, quod altera pars alteri ſpondebat, ipſe pollicitus eſt, ſe centum lanceatos Erfordiæ, centum Mulhuſæ, centum Eichsfeldiæ, quotidianis in hoſtem excurſionibus faciendis, impoſiturum eſſe, omnes probe expeditos & inſtructos. Comites viciſſim & Ciuitates, ſe eadem fini ſexcentos id genus milites ſuis in caſtris proprio habituros ſumtu. Dein conuentum, ſi quam ex hoſte prædam facerent, ſiue in quotidianis illam capiant velitationibus, ſiue æquo campo, collatisque ſignis, ſe eam partituros inter ſe pro numero militum, qui ex vniuſcuiusque copiis dimicationibus iſtis vel pugnæ interfuiſſent. Eadem proportione ſe pecuniam inter ſe diuiſuros, qua illuſtriores captiui ſe redimant, ſi quidem caſus ita ferret, vt quos victos ducerent, vinctosque. Melioris intellectus cauſſa dabo verba ipſa; *Auch iſt gered, quem es zu dingen, oder zu eyme ſtride, das Got vvolde, zu velde, oder vvo das vvere, » da *frumme von bequeme «, ſollen vvir vnder einander teilen gleich vvie der marzal der Lut, die gevvappent, da myde ſint, » da frumme gevellet «. VVurden aber Furſten da gefangen, » vvas frumme davon gehde, den ſollen vvir alle gleich miteinander teiln nach marzal der Lut.* Edit. I p. 862 * al. frommen

7) Præter hos vero ſibi ab *Henrico* Comite Waldeccenſi tum ſuppetias ſtipulatus eſt, tum liberum caſtrorum Waldeccenſium, bello hoc cum Miſnenſibus durante, vſum. Actum id die SS. Proceſſi & Martiniani martyrum; tabulis, quibus pactio conſignata, ſigillo, quod peculiari appellatione *vnſer Vormundſchaft ingeſigel* vocat, impreſſo.

aduerſus Ludouicum ducit.

8) Dein numeroſo cum exercitu Erfordiam venit. Poſt, ſociis Erfurtenſibus, plures Marchionum villas rapinis, flammisque populatus, caſtrum *Göbeſen* (quod noſter mendoſe *Bobeſt* appellat) prope Vnſtrutam fluuium obſedit. Quod cum premeret, Balthaſar Marcgrauius, Ludouici frater, copiis magno numero contractis, ex altera fluminis Vnſtrutæ ripa caſtra caſtris hoſtilibus aduerſa poſuit, vt res ad vim ſpectaret acmanus. Auctor § II dicit, Adolfum prœlio decertaturum fuiſſe, niſi Carolus Imperator, qui Ludouico ſuppetias ferebat, interceſſiſſet, & de pace agi iuſſiſſet. Addit *Gudenus* hiſtor. Erfurtenſ. lib. II § XVII p. 118, cum tranſigi haud potuiſſet, denuo ventum eſſe ad arma. *Fabricius* vero l. d. p. 668 paullo aliter rem narrat, refertque, Balthaſarem, pugnandi cupidum, Friderici fratris, cum maxime vero Tribunorum obluctantium interceſſione, quo minus hoſtem aggrederetur, ſe continuiſſe. Quocunque vero ſe res habet modo; Miſnenſibus ad quemcunque impetum paratis, Erfurtenſibus cœpit oriri trepidatio; conſilia hinc inibant, ſibi ſuæque vrbi commoda. Verebantur enim, ſi res parum feliciter caderet, ne tota belli moles ſibi eſſet ſuſtinenda. Domum itaque repetebant. Diſcedentibus illis & Adolfus, ſublatis raptim ſignis, properat Erfordiam. Vtrum illorum perſuaſu, quod Fabricius vult, an metu, ſe ſolum hoſtibus futurum imparem, lis eſt. Vix autem intra mœnia ſe receperat, cum Miſnenſes, Balthaſar & Fridericus, viribus coniunctis, vrbem triginta armatorum millibus cingerent. Adolfum tamen, quod ſperabant, loco mouere haud poterant. Tolerauit enim magna animi fortitudine & conſtantia plurium hebdomadum obſidionem, eamque, vt vel ipſe auctor iam indicauit, ſatis grauem.

9) Rei exitum aliter narrat auctor *faſtorum Limpurgenſium*, aliter *Fabricius*, aliter *Gudenus*, aliter alii. *Ille* l. d. § CXXX p. 73; *Vnd da die vierzehen tag gelegen vor Erffurt, da*

Edit. I p. 862

da kam der Römiſche Kayſer Carolus IV, Kônig zu Bôheim, vnd ſein Sohn VVenceslaus, mit groſſem Volck, Rittern vnd Knechten, vnd legte ſich auch vor Erfurt, mit den Marggraffen von Meiſſen, vnd lagen allda acht gantzer vvochen miteinander mit groſſen ehren vnd gevvalt, vnd hetten gern geſtritten mit den Herren vnd mit der Stadt von Erffurt, vnd mochten das nicht geſeyn. Vnd vvas von Herren, Rittern, vnd Knechten zu Erffurt vvar, das ritte bey zvveyen tagen vnd des nachts meiſtlich alle aus, vnd lieſſen den Kayſer mit den Marggraffen da liegen. Iſte, Origin. Saxon. l. d. p. 669; *Sed vtrinque captis aliquot militibus, tandem de pace agitur; qua impetrata, Erffordiani multis honoribus Imperatorem afficiunt. Ludouicus titulum Antiſtitis Moguntini accepit, ſed Paderbergæ ſedem retinuit. Adolfus Spiram antiquam ſuam ſedem ipſe quoque repetit. Compoſitum bellum hoc eccleſiaſticum anno MCCCLXXV.* Ita *Fabricius*, auctorem *hiſtoriæ* de *Landgrauiis* cap. XX p. 946 ex parte ſecutus. *Hic*, l. d. hiſtoriæ Erfurtenſ. p. 120; *Cum autem ea, quæ deditionem promouere poſſent, fruſtra tentarentur, ipſaque obſidio in decimam ſextam ſeptimanam protraheretur, Cæſar auxiliares copias in Bohemiam reduxit; Landgrauii vt affligerent, quos vincere non poterant, in vineas ſæuierunt, vitibus radicitus euulſis, plumbeos etiam canales leonini fontis, vti anus fecerat, exemerunt. Sicque liberata ciuitas. Crebro tamen hoſtilibus ager vexatus, nec impune ciues extra vrbem deprehenſi, vsque dum Ludouicus —— moreretur.* Vt adeo plane non conueniant; neuter etiam prorſus ἄσπιλος ſit. Id conſtat, quod hoſtis haud ceperit Erfordiam; & quod vtraque pars dein ad certum tempus ab armis ceſſarit. Illud & veteres & recentiores vno dicunt ore. Hoc produnt *Andreas* de *Bruneck* Præpoſitus, Decanus, & Capitulum in litteris, de quibus mox ad an. MCCCLXXVII n. 12; *Daſs vnſer Herr von des Stifts vvegen zu Mentz* » gein dieſen vſſgehenden friden gein die Margrafen vnd iren Bruder » *&c.* Vtrum vero ſub finem obſidionis huius, an poſt demum inducias fecerint, mihi haud compertum eſt.

molestiam trahit ex ſoluendis ſtipendiis.

9) Adſciuerat autem ſibi ad expeditionis huius ſocietatem magnam Nobilium manum, quibus cum ſtipendium, quod iis decreuerat, dum id flagitabant, ſoluere haud poſſet, factum, vt anno ſequenti MCCCLXXVI agros, villasque Archiepiſcopatus inuaderent, raptuque pecorum ac populationibus multum colonis nocerent. Referunt id nobis *Miſcella* noſtra, atque in hunc exequuntur modum: *In illo tempore* (MCCCLXXVI) *multi Barones, Milites, & Armigeri, qui Adolfo auxilium contra Marchiones præſtiterunt, volentes habere præmium laborum ſuorum, impetierunt ciues & homines eccleſiæ Mogunt. multa damna ipſis intulerunt.*

Hohenloenſem in auxiliatorem adſciſcit.

10) Nihilo ſecius tamen ipſe inter hæc de nouis viribus ſibi circumponendis cogitauit, ac *Godefridi* Hohenloenſis operam contra Ludouicum, eiusque fratres Marchiones, litteris luſtratæ ſemper virginis feſto datis, conduxit; ſimul pollicitus, ſe ei de damnis, quæ partim in itinere vltimo Erfordiam inſtituto, partim in Alſatico (*vvider die boſe geſellſchaft*) fecerit, condigne ſatisfacturum.

cautionem accipit a Wenceslao.

11) Dum autem in has ipſe incumbebat curas, Carolus Imperator huc vertebat conſilia, vt filio Wenceslao Regis Romanorum adſtrueret honores. Nec fruſtra. Principibus enim Electoribus prece pretioque ſuam ad voluntatem adductis, dictus eligendo illi dies. Ne cœptis Adolfus officeret, Wenceslaus tabulis Baccharaci ex itinere Veneris ante almam Pentecoſtes confectis, ſpopondit, ſe ei nec arma illaturum, nec ſuis, vt id faciant, ac infeſtis ſignis in terras Moguntinas ſeſe inferant, conceſſurum. Quin Rex renuntiatus, quæ illis pollicitus erat, nouis Francofurti Iouis poſt D. Margaretæ memoriam ſignatis & repetit, & vti in prioribus promiſerat, ſollemniter firmauit.

de neruo belli ſollicitus eſt.

12) Sequenti MCCCLXXVII, quum dies induciarum cum Miſnenſibus pactarum ad finem vergerent, ad bellum renouandum omni ſe comparauit ſtudio, & cum ad tuenda Archiepiſcopatus oppida ac caſtra, copias item aduerſus hoſtes alendas & ducendas, præſenti opus eſſet pecunia, de bonis quibusdam Sedis pignori opponendis cogitauit. Aſſenſere Decanus maioris & Canonici Moguntini, litterisque ſacratioris hebdomadæ feria quinta datis permiſere, vt caſtrum ac vectigal Ehrenfelſenſe pro duobus florenorum millibus oppigneraret.

nouos auxiliatores ſibi comparat.

13) Inde non *Erneſtum* modo, Comitem Glichenſem, ad defenſionem caſtri Aſchaffenburg dominica poſt ferias paſchales prima exciuit (vid. *Struuius* parte I *des neu-eröffneten Hiſtoriſch- vnd Politiſchen Archivs* n. II p. 20 & ſeq.) verum etiam circa D. Eliſabethæ ſollemne *Fridericum*, Wildgrauium Kirbergenſem, adſignato trecentorum florenorum ſtipendio, adiutorem aduerſus Ludouicum, eiusque fratres, ſibi comparauit.

Anno ſequenti vero (qui MCCCLXXVIII poſt Virginis partum fuit) vt indies magis vires firmaret ſuas, *VVilhelmum* de *VVied*, Dominum de Iſenburg, Præpoſitum Aquenſem, ſabbato ante diem D. Valentino in faſtis dicatum.

nouos nummos cudi facit.

14) De cetero, cum nummis argenteis minoribus, quos cudi iuſſerat, in vſu quotidiano infra valorem ſtatueretur pretium, id faciendum ſibi duxit, vt nouos, quorum duo vnum Ratisbonenſem vel Swarzburgicum valerent, ſignari curaret. Fuſe id litteris feria ſecunda ante Simonis & Iudæ datis explicuit. Conſultum igitur erit, vt ipſas inſpicias. In gratiam enim rei nummariæ ſtudioſorum codici eas Diplomatico inſerui.

plures adſumit adiutores.

15) Enimuero, ne de reprimendis Ludouici conatibus conſueti quicquam ſtudii remitteret, anno, qui nunc ſequitur, MCCCLXXIX non minus, quam ſuperioribus, in adiutorium belli euocauit *Henricum*, quem ſupra iam dixi, Comitem Waldeccenſem, & *Salentinum*, Dominum de Iſenburg, viros cum priſcæ

domi nobilitatis, tum in armis præstantes; illum, feria quinta post dominicam *Reminiscere*, promissis in stipendium mille marcis argenti; hunc, non ita multo post.

Moguntia sacrorũ inter dictum ad certum tempus tollit.

16) Dein, quod ab his curis nactus erat otii, rebus ecclesiæ suæ impendit, cum maxime, quod tum temporis quidam ecclesiarum in ciuitate Moguntina ministri, nescio quibus adducti caussis, in parochialibus suis rerum diuinarum vacationem indixissent. Videns enim, id in pietatis & religionis vergere decrementum, inducta illorum sententia, decretoque ipsis Kal. April. promulgato voluit, vt ex eo ad octauam vsque Pentecostes, ratione constitutionum synodalium vel aliarum haud habita, sacra faciant in suis parochialibus, statutisque temporibus veteri ea laudatoque cæremoniarum ordine perpetrent; pœna simul in transgressores statuta; vt mandatum, quod diplomatis ceteris immiscui, inspicienti haud obscurum esse potest.

cum Lôvvẽsteinensi cõgonitur.

17) Exercebat autem, cum hæc ordinaret, inimicitias adhuc & iras cum *Alberto*, Comite Lõwensteinensi, aduersus quem ad vim & arma superiori anno se demiserat. Non longe post tamen ab hostilibus ad pacis consilia deuenit, eumque, sublatis litium caussis, in societatem armorum contra Ludouicum Misnensem tertia ante Georgii adsumsit.

cum Wirtẽbergico fœdus init.

18) Rerum dein suarum statu sic exigente, potentiam fœderibus firmandam censuit. Actum igitur cum Comitibus Wirtembergensibus, *Eberhardo* patre & *Vlrico* filio, quorum tum temporis & eximia erat auctoritas & opum vis haud vulgaris; & confectum tandem ex voto negotium. Alter enim alteri ad quotidianas excursiones (*zum täglichen krieg*) spopondit auxilium; ipse Wirtembergensibus quinquaginta Milites & Armigeros, lanceis instructos, quorum opera per octodecim circum circa Brackenhemium milliaria vti possent. Totidem Wirtembergenses ipsi. Pactio in litteras transmissa Sickingæ die Bartholomæi Apostoli.

se submittit Clementi.

19) Hæc inter Vrbanus VI (quem Gregorio fatis functo Itali suffecerant) Ludouicum, quem anno superiori vinculo, quo Moguntinensi obstrictus erat ecclesiæ, soluerat, hoc restituerat anno. Quod ægre ferens Adolfus, nec diutius ita sedendum ratus, Clementi (quem Gallicani Cardinales Pontificem appellarant) se submittebat. Operæ quidem pretio haud contemnendo. Ab eo enim pallium statim, honoris Archiepiscopalis insigne, vna cum largis accepit indulgentiis. Notarunt id rursus *Miscella* nostra.

pallio induitur.

20) Inde haud cunctatus, postridie diei Simoni & Iudæ Apostolis sacri (*sabbato crastino Simonis & Iudæ* dicunt Σύμικτα modo memorata) Clementis litteras, quibus confirmabatur, publicauit, pallioque a duobus indutus Episcopis, pro Archiepiscopo se gessit. Factum id Eltvillæ, præsentibus maioris domus Canonicis, multisque Archiepiscopatus tum Beneficiariis, tum Officialibus.

in possessionem immissus.

21) Postea Capitulo certa pactione se ibidem, sabbato post OO. SS. obstrinxit; qua signata e vestigio in plenariam Archiepiscopatus possessionem immissus est, iussis per litteras eodem die ibidem datas vniuersis Archiepiscopatus Vasallis siue Beneficiariis, Principibus, Comitibus, Baronibus, Militibus, Armigeris, Castrensibus, Ministerialibus, aliisque, vt ipsum tanquam feudi Dominum ac Herum agnoscant, ac iusti obsequii, imperiique titulis iurato delatis solemniter suscipiant. *titur plenariam.*

22) Et tum ab vniuerso ditionis Moguntinæ populo sacramenta de more accepit, misso ad superioris tractus ciuitates, qui in fidem eas reciperet, e Consiliariis *Eberhardo* de *Rud*, equestris dignitatis viro & Burggrauio Wildenbergensi. *sacramentum accipit.*

23) Tum etiam misso Episcopi Spirensis & Administratoris Moguntini titulo, quo ad id vsque temporis vsus erat, Archiepiscopum Moguntinum & Administratorem Spirensem se scribere cœpit. Pro testimonio loquantur litteræ, peruigilio Nicolai Episcopi ad *Anzelmannum* de *Grasevvege*, Burggrauium Beckelheimensem, datæ; *VVan vvir vormals dem —— als ein Vormunder des Stifts zu Menze bestediget han —— vnd vvan vvir nu zu dem Stift zu Menze als ein rechter Erzbischoff zugelassen sin* &c. item aliæ, anno sequenti Bruchsaliæ ipsa Epiphanias dominicæ memoria signatæ; *VVir* Adolf *von Gottes gnaden, Erzbischoff zu Menze, vnd Vormunder des Stifts zu Spire.* *Archiepiscopi Moguntini titulo vti incipit.*

24) Notandum tamen, Capitulum in litteris ad Vasallos, Ministeriales, & Ciuitates scriptis distertis verbis dicere, Adolfo se Archiepiscopatum cum castris, oppidis, villis, bonis, iuribus, in manum tradidisse, potestatemque, castro tamen *Klopp*, oppido *Bingen*, castro *Laneck*, oppido *Lanstein*, castris *Ehrnfels*, *Starckenberg*, & *VVildenberg* sibi, quamdiu ille vixerit, reseruatis (*die vvir sine lebetage ynnen haben sollen.*) *castra locaque quædã in Capituli potestate relinquere cogitur.*

25) Quo minus autem solidam ab armis quietem haberet, fecerunt *Diethertus*, Camerarius de Wormatia, & *Philippus* Rugrauius, Dominus castrorum Neuen- & Alten-Beymburg. *Ille* Bensheimensibus, qui ditioni Moguntinæ erant subditi, hostem se professus erat; quorum adeo caussam Adolfus non poterat non in se suscipere. Incidit autem, dum suscepérat, in damnum haud exiguum. Tulit enim ita casus infestus, vt frater Ioannes vna cum pluribus aliis a Diethero prostratus redigeretur in captiuitatem. Inde omnia conuersa. Vt enim vinculis eum liberaret, pacis secutus est consilia, ac Diethero sex florenorum millia promisit, datis eidem in securitatem & obsidibus & sponsoribus. Illi fuere, *Ioannes*, quem modo dixi, frater, *Otho*, Comes de Nassau, *Ioannes* de *Seyn*, dictus *Greiffenstein*, *Conradus* de *Franckenstein*, *Gerardus* de *Berenbach*, *Henricus* de *Hatstein*, *Georgius Vezer*, *Henne* de *Hatstein*, *Georgius* de *Sulzbach*, *Nicolaus* de *Leiboldes*, *Henne* de *Langenau* & *Henne* de *Hosheim*. Hi, *Ioannes*, Comes de Eberstein, *VVilhelmus Flach*, *Nicolaus* de *Stein*, iunior, Canonici Moguntini, *bellum cum Diethero Camerario.*

Contra-

Conradus de *Bickenbach*, *Buben* de *Geiſpizheim*, *Eberhardus Rüd*, *Henricus Groſchlag*, *Hartmudus Beyer* de *Boppardia*, Burggrauius Starckenbergenſis, *Ioannes* de *Lautern*, *Georgius* de *Lindau*, *Henricus Ring*, Præfectus Didesheimenſis, *Iacobus* de *Altorf*, *Conradus* de *Rabenolt*, & *Hennechinus Rabenolt* de *Ernſthoven*. Actum id anno MCCCLXXX, die cathedræ Petri feſto.

& Rugrauio finit.

26) Hic, *Philippus* Rugravius, caſtri, oppidique Rockenhuſenſis cauſſa occaſionem dederat bello. Damnis tandem vltro citroque & illatis & acceptis, ſabbato poſt D. Bonifacii memoriam conuenit, vt Agnes, Philippi mater, & Adolfus id communi tenerent iure; ea mortua, Adolfus, communione ſublata, ſolus.

armis cum Palatino Rheni confligit.

27) Sequentibus diebus graui admodum bello fuit implicitus; quod cum auctor vel tribus tantum verbis attingat, *litigii quid cum Ruperto forte Palatino* habuiſſe, quamuis haud adeo bene, dicens, iuuabit, id paullo curatius referre. Scilicet *Rupertus* ille, de quo auctor dubitanter loquitur, fuit *Rupertus* ſenior, Comes Palatinus Rheni, Elector, cui tum acceſſerant *Gerhardus* Antiſtes Herbipolitanus, *Fridericus* Burggrauius Norimbergenſis, & *Ioannes*, Comes Werthemii. Cum his res erat Adolfo. Belli cauſſam & originem nec *Trithemius* nec *Lehmannus* produnt, quamuis vterque id perſtringat; ille, in chron. Hirſaug. ad annum MCCCLXXXI p. 277, Sponheimenſ. p. 334; iſte, chron. Spirenſ. lib. VII cap. LXIV p. 741. Quam acriter vero inter ſe commiſſi fuerint, præ iis *Miſcella* noſtra memorant. Et quidem hoſtilium Rupertus initium fecit, ferro igneque agros villasque ditionis tum Spirenſis, tum Moguntinenſis vaſtans. Sic enim, quæ modo dixi, Συμμικτα; *In diebus illis Rupertus Dux, Comes Palatinus, cum magno exercitu inuaſit diœceſ. Spirenſem, & poſtea Maguntinam, & multa mala exercuit. combuſſit omnes villas; pauperes ſpoliauit, captiuauitque, & fugauit omnes in dictis diœceſibus, tam clericos, quam laicos, eorum bonis & reditibus ablatis, & iuxta ſuam voluntatem pertranſiuit dictas diœceſes, nemine ſibi reſiſtente, incendio deuaſtando, extra oppida, quicquid erat in terra, non aduertens ſuæ ſenectutis vanitiem.* Vt vim vi repelleret Adolfus, feria tertia poſt diuiſionis Apoſtolorum *Francone*m de *Cronenberg*, & *Cratonem* de *Hazfeld*; feria item quarta poſt Margaretæ *Gerhardum* de *Blanckenheim*, Dominum Caſtelbergæ, in ſocios armorum ſibi adſciuit, opem illorum ſtipulatus; vſque dum bellum hoc cum Ruperto perpetratum eſſet. Quin probe perſpiciens, ſibi cum hoſte rem eſſe, qui opibus, armis, & potentia valeret: vt & ipſe vires hoc maiores acquireret, poſt non multo plures adhuc aduerſus eum auxiliatores ſibi paranit; in his *Fridericum* & *Cunonem* de *Reiffenberg*, *Ioannem*, Comitem Solmenſem, & quem ante contra Ludouicum quoque adiutorem ſumſerat, *VVilhelmum* de *VVied*, Dominum de Iſenburg, Præpoſitum Aquenſem. Horum confirmatior factus auxilio, hoſti ſe fortiter obiecit, & quam acerrime iniurias ſuis illatas vltum iuit. Sic enim pergunt *Miſcella* noſtra; *Poſt quindenam Adolfus Archiepiſcopus congregauit magnum exercitum, & vindicare volens prædicta damna, inuaſit terram Ducis, & ſuorum auxiliariorum, cremauit, rapuit, captiuauit, & ſimiliter multa damna intulit habitatoribus terræ circa Rhenum, Moganum, Necker, Dubir flumina, & circum viciniam, illata ex dictis gvverris.*

cum eo componitur.

28) Ne belli vis ad maiorem vtrinque perniciem gliſceret, Wenceslai Imperatoris iuſſu curæ ſibi habuere *Cuno* Treuirorum Archiepiſcopus, *Conradus* Lubecenſium Antiſtes, *Premislaus* Dux Teſchinenſis, *Henricus* Dux . . . *Ioannes* Landgrauius Leuchtenbergenſis, *Crato* Dominus Hohenloenſis, & *Thyme* de *Colditz*; quibus acceſſere *Moguntia*, *VVormatia*, & *Spira* ciuitates. Quum ſedandis, comprimendisque belli huius motibus vigilias admouiſſent, tandem conuenit, vt res omnis ad Wenceslai arbitrium deferretur, iudiciumque. De rei vero agendæ modo conſtitutum, vt vterque querelas ſuas ſcripto comprehenſas, ſignatasque edat, & Ehrenbreitſteinium mittat ad Cunonem; Cuno dein ſine mora Moguntinenſes ad Palatinum, Palatinas ad Moguntinenſem. Acceptis iis alter ad alterius expoſtulationes intra quatuor hebdomadas reſpon ſum det, ac ad Cunonem curet. Cuno inde poſtulata æque ac reſponſa ſigno ſuo obſignata Wenceslao tranſmittat ad ferendam ſententiam. Ille eam Moguntiæ, vel Francofurti, vel vbi ei magis viſum, ex iure & æquo partis vtriusque dicat; a qua dein recedere neutri fas ſit. Regi interim vterque, maiorem in ſecuritatem, caſtris oppidiſque *Viherburg*, & *Solmen*, *Steinſperg* & *Hilſpach*, *Dydensheim* & *Kirvveiler* caueat. *Giſel-Schlöſſer* vocantur in tabulis. Horum vero locorum Præfecti Wilhelmo, Comiti Cazenelenbogenſi, & *Vlrico* Hanouienſi iurato fidem dent, ſe cum caſtris oppidisque in eorum poteſtate futuros ac obſequio. Si Regem mori contingeret; antequam cauſſam deciderit, caſtra hæc; captiuique eum in ſtatum redeant, quo ante hanc fuere pactionem. Ab armis diſcedendum poſtridie poſt ſolem occaſum in vallibus (*in den Thalern*) Rhingauia, tractu Hunnorum, Ingelheimii, Oppenheimii, Alceiæ, totiusque Gavii; trans Rhenum; vltra Heidelbergam & ſiluam, vulgo *Odenvvald* dictam, die Lunæ, cœptante nocte. Cum Epiſcopo Herbipolitano, Burggrauio Norimbergenſi, & Comite Werthemenſi, Schurburg item & Solmen, inimicitias ponendas die Martis, primis itidem tenebris. Vterque igitur Præfectis ſuis id indicet. Si Hermannus Landgrauius ſe hoſtem Adolfi profeſſus ſit, per quatuor hebdomadas proximas res ſit in induciis. Nec Adolfus illi, nec ille Adolfo faciat bellum. Si nouas idem excitarit munitiones, eas intra hebdomadas haſce maioribus haud muniat præſidiis. Si ſeſe hoſtem haud ferat, intra tempus hocce Ruperto ſig-

nificet, vtrum pace hac includi velit, nec ne. Si velit, similiter Regis stet sententia. Sin minus, sit ita. Rupertus vero, si ei forte auxilio venire apud se constituerit, per litteras Eltvillam vel Aschaffenburgum missas id octiduo ante denuntiet. Acta hæc Moguntiæ, interpositoque a partibus iureiurando firmata die nascenti Deiparæ festo.

cum ciuitate Moguntina fœdus init.

29) Post neque ita multo ei, Collegioque principi visum, cum ciuitate Moguntina fœdus icere. Initum autem ad quatuor fuit annos, tabulisque comprehensum publicis; quarum quidem initium & finem huc apponere iuuabit. Illud ita habet; *VVir* Adolf *von Gotis gnaden, des Heilgen Stuls zu Menze Erzbischoff, des Heyligen Romischen Riches durch Dutsche land Erzkenzeler, vnd Vormunder des Stifts zu Spire*; *Vnd vvir* Endres *von* Bruneck, *Dumprobest*, Wilhelm Flach, *Dumdechant*, Otto *von* Schoneburg *Schulmeister, vnd der Capitel des Dumes zu Menze bekennen offentlichen mit diesem brieve, das vvir durch friedes, nutzes, fruntschaft, vnd gemaches vvillen vns mit den Ersamen VVisen Luten, vnsern besandern Frunden, den Burgermeistern, dem Rade, vnd der Stat gemeinlichen zu Menze, vnd sie sich mit vns hervviderum gutlichen vnd fruntlichen vereynet haben, vnd eynen vns mit crafft dieses Briefses viere ganze iare, die neste kommen, nach giffte dieses Briefses in alle der vvise vnd forme, als hernach geschriben steet.* Clausula vero hæc est; *Der geben ist zu Eltvil off die Mitvvochen fur Santh Mattheus tag des H. Apostels, in dem iar, da man zalte nach Christis geburte druzenhundert iare, darnach in dem achzigesten iare.*

Rieneccensē Hanouiensi substitutū approbat.

30) Post anni sequentis MCCCLXXXI incunabula egit Norimbergæ, & cum per dies istos, *Vlrico* Domino *de* Hanau, alteri illorum, quorum fidei castra ista oppidaque supra dicta commissa erant, fatis functo, Cæsar *Godefridum* Comitem Rieneccensem surrogasset, ipse litteris quarto ante festam Pauli conuersi memoriam die ibidem datis plenam illi potestatem fecit, vna cum Wilhelmo Cazenelnbogensi omnia agendi faciendique, si pacto haud staretur, quæ vtrique in tabulis conuentorum, ad istum quidem casum, iniuncta sint.

Hohenloensem Episcopatui Spirensi Præfectum dat.

31) Reuersus, feria sexta post diem Valentino in fastis sacratum *Vlricum* Hohenloensem Episcopatui Spirensi supremum Præfectum dedit. Referre placet verba, quibus in litteris tum vsus; *Daz vvir den Edlen, vnsern lieben Oheim*, Vlrich *von* Hohenloch, *zu vnserm obersten vnd gemeinen Ambtmann in dem Stift Spire hinsyt vnd hiedisit Rynes gesezt vnd gemacht han* &c.

Moguntiam sollemniter ingrediuntur.

32) Dominica dein post gloriosam Paschalium diem secunda, *Misericordias Domini* dicta, ab Vrbano similiter iam confirmatus, Moguntiam sollemni apparatu introiit, amplissimæ pompæ, humanitatisque genere ab omni clero & populo susceptus. Vide, quæ supra dixi ad § III n. 7 in *Ludouico*.

Canonicis Spirensibus cautione prospicit.

33) Forte tum increbuerat rumor; Episcopatum Spirensem alii collatum iri. Aedis igitur, quæ Spiræ primaria est, Canonicis, litteris Eltvillæ dominica *Cantate* dicta signatis fidem dedit, si quidem id contingeret, tum se Episcopatus castra locaque Prouiso haud prius in manus traditurum ac potestatem, quam ille spoponderit, se priuilegia ecclesiæ Spirensi a decessoribus concessa rata habiturum, nouoque firmaturum diplomate.

in Hassiam & Thuringiam proficiscitur.

34) Inde iter in Hassiam, Thuringiamque instituit. Ante vero, quam id ingrediebatur, *Hermannum Rost*, Canonicum Spirensem & Moguntiæ Decanum ad D. Stephani, *Antelmannum* de *Grasevvege*, Burggrauium Beckelnheimensem, *Rost* de *VValdeck*, Archiepiscopatus Marescalcum, *Ioannem* de *Schonenburg*, Præfectum Vogtsbergensem, *Eberhardum Rad*, Burggrauium Wildenbergensem, & *Eberhardum* de *Vechenbach*, Vicedominum Aschaffenburgensem, viros consilio & auctoritate spectatos, constituit, qui interea in partibus Rhenanis rerum summam administrarent. Tabulæ, quibus id prouinciæ Moguntinæ populo significauit, datæ ipsa D. Mariæ Magdalenæ feria.

Erfurtensibus singulare indulget priuilegium

35) Erfordiam cum venisset, omnibus accurate exceptus est officiis. Et cum ciuitatem sacramento sibi obstrinxisset, feria secunda post diem exaltato S. Crucis ligno festum nouo singularique eam priuilegio affecit. Illius tria numeres capita. Primum est, ciuitatem in posterum a nullo Sedis Moguntinensis Iudice, ordinario æque ac delegato, sacro interdicto notandam, sine præscitu suo, specialique mandato. Alterum, si Nobilem, vel alium quempiam contingat Erfurtum deduci, propter quem rebus diuinis faciundis supersedendum, vacationem sacrorum in ea tantum parochia indicendam, in qua ille asseruetur in custodia. Tertium, ciuibus tempore necessitatis licere diebus feriatis (exceptis tamen summis festiuitatibus) laboribus licitis & honestis, sine vllo pœnæ ecclesiasticæ metu, vacare.

Iudæis item diuersis in oppidis.

36) Ceterum per eosdem dies Iudæorum Isenaci, Gothæ, Salzæ, Ienæ, Vinariæ, & Wissenseæ vitam tolerantium precibus faciles præbuit aures, indulto iis diplomate, quo molestiis, quibus misera gens passim exagitabatur, haud parum leuabantur. Decreuit enim primum, ne intra sex annos proxime sequentes aliorsum in rem aliquam citentur, vel per litteras euocentur. Dein Iudicem, apud quem e.g. Gothani in ius vocari possint, constituit Collegialis Gothanæ Scholasticum. In iudicando vero hunc iussit obseruari modum, vt sine vllis ambagibus simpliciter ac plane interrogentur, an res ita habeat, nec ne; si præcise, planeque affirmando vel negando responderint, ius dicatur. Si testibus forte coarguendi sint, conuincantur Christianis & Iudæis ab odio & inimicitia vacuis. Tandem Plebanis, Viceplebanis, & Diaconis per diœcesin Moguntinam singulis ac omnibus interdixit, ne intra dictos sex annos litteras euocatorias vel id genus alias, *Bannbrieffe* vulgo dictas, sigillatim Roma missas, aduersus eos acci-

accipiant, ac pro ambone sacro recitent. Litteras ipsas habes in codice Diplomatico.

a Clero pensiones exigit.

37) His aliisque constitutis, Erfurto discessit. Prius tamen, quam abiret, a Clero ciuitatis pariter ac circumiectæ diœcesis duodecim exegit pensiones; quod quidem *Miscella* his produnt verbis; *Ipse exegit a Clero ciuitatis & dioceſi Moguntina duodecim procurationes, quæ extendunt ſe ad magnam ſummam, videlicet in rure vltra decem ſubſidia.*

Iecheburgēſi concedit priuilegium

38) Gothæ substitit feria post diem sanctæ Cruci exaltatæ sacram quinta, ibique *Burchardo* Domino *de* Quernfurte, Præposito Iecheburgensi, singularem fecit gratiam. Cum enim Petrus & Gerlacus editis prohibuissent constitutionibus, ne Archidiaconi vel eorum Officiales caussas pecuniarias duarum marcarum summam transcendentes diiudicarent; ipse, his aliisque non obstantibus, facultatem ei dedit, in locis Collegiatæ Iecheburgensi subditis id genus caussas ad viginti marcarum vsque summam cognoscendi, decidendique. Loquitur id Diploma, quod codici nostro inserui.

Dominicanos Marpurgenses arguit.

39) Gotha perrexit Heiligenstadium, vrbem Eichsfeldiæ primariam; Heiligenstadio Ameneburgum, municipium haud incelebre. Ceterum audito, Marpurgi in vicinia PP. Dominicanos tempore interdicti sacra apertis celebrasse ianuis, indignatus, sanctiones ecclesiasticas tam audacter violari, tum Marpurgensi, tum ceteris per diœcesin Plebanis mandauit, PP. dictos serio commonerent, vt in posterum ecclesiæ loci in omnibus se conforment; populum vero, ne sacris interſint, si PP. rerum diuinarum vacatione indicta religionis operibus, diuinisque officiis modo illo vacare præsumserint. Quod ne præteream, Ameneburgi facit mentio. Ibi enim litteræ ad dictos Plebanos datæ fuerunt d. XXIV Nouembris.

Canonicis Spirensibus noua consulit cautione.

40) Hæc inter *Nicolaus* de *VVisbaden*, Præpositus Dauentriensis †, & Moguntiæ Canonicus B. M. V. ad gradus *, ad sedem Spirensem aspirarat. Cui cum cedere nollet Adolfus, res in contentionem excreuit, cum essent, qui tum ipsi, tum Nicolao adhærerent. Cum Adolfo faciebant e clero maiori Spirensi *Eberhardus* a *Bommersheim*, Custos, *Heilmannus* a *Bommersheim*, Cantor Vormatiensis, *Iunge* de *Franckfurt*, *Petermannus* zum *Iungen*, Moguntinus, *Eckardus* a *Kageneck*, Præpositus ad D. Petrum Argentorati. Quibus ipse vicissim promittebat, omnibus se viribus ipsos tuiturum, ac indemnes præstiturum, si forte quid detrimenti facerent: quin, si beneficiis exuerentur, se cum nemine prius concordiam initurum, quam in ea essent restituti. Quod si diem obiret, antequam res ad pactionem venerit, tum quidem decretum, ne *Vlricus* Hohenloicus castra oppidaque Episcopatus prius e potestate sua dimittat, quam eos ab omni damno immunes factos constet. Litterarum hac de re editarum clausula hæc est; *Datum Vdenheim in die Corporis Christi, MCCCLXXXII.*

† Adolfus *in litteris dictis*; Als zvveyunge vfferstanden ist vmb den Stift zu Spire zvvischen vns an eynem, vnd *Nycolao* von *Wisbaden*, *Probest zu Daventer*, der sich nennet ervvelten, bestedigeten Bisschoff, an dem andern teyll &c.

* *Sic enim* necrologium *ad gradus p.* 115; II Non. Iun. anniuersar. Reu. P. Domini *Nicolai* de *Wisbaden*, Episcopi Spirensis, & Canonici huius ecclesie. *Fuit ceteroqui Wisbada oriundus (vnde ei etiam cognomen hæsit) ciuis cuiusdam filius.* (eines Burgers Sohn von Wisbaden) Gensbein *faster. Limpurgens.* § *LXXXVI p.* 102.

castri Wartenberg v. sum acquirit.

41) Cum vero castrum *VVartenberg* ad impetus tam sustinendos, quam in hostem faciendos tum temporis opportunum maxime esset, firmumque, huc sua ipse vertit consilia, vt a Nobilibus, qui defendendo isti in societatem coiuerant, liberum illius vsum sibi conficeret. Nec frustra fuit; quippe voti compotem fecere, quos dixi, loci Castrenses, *Sifridus* de *VVildenstein*, *Ioannes Kemer*, *Thilo* de *Vdenheim*, & *Ioannes* de *VVartenberg*, Castri ædiles; *Nicolaus* de *Lapide*, iunior, *Ioannes* de *VVartenberg*, Canonicus Moguntinus, *Sifridus Schneberg* de *VVartenberg*, *Emericus* de *Ingelheim*, *Bechtolfus* de *Flanborn*, *Sifridus* de *Scharpfenstein*, iunior, Milites, *Andreas* de *Lapide*, *Hesso* de *Randeck*, *Conradus Kolb* de *VVartenberg*, omnes loci Castrenses. Tabulæ, quibus id ei permittebant, editæ ipso die vinculorum S. Petri memoria celebri.

Fuldenses in tutelam suscipit.

42) Hæc dum fiebant, Fuldenses grauiter pressi a societate, quæ *Stelligerorum* appellabatur nomine, Adolfum respiciebant, persuasi, saluos se fore, si res ille Fuldenses in suam susciperet tutelam. Decanus igitur ac illustris contubernii sodales, vna cum *Ioanne* Domino *de* Isenburg & Büdingen, *Friederico* in *Liesperg*, *Conrado* de *VValderthusen*, Custode, *Carolo* de *Bibra*, Portenario, *Eberhardo* & *Godeschalco* de *Buchenavv*, Militibus, in Prouisores ab Abbate & Conuentu electis, Adolfum hac de re reuerenter compellarunt; quem, dum iis annueret, ad sex annos, Conradi Abbatis consensu, tutorem sibi constituere. Idem, *Conrado* Abbate Spangenbergæ post trucidato, & *Friderico* de *Rumrod* monasterii gubernaculis admoto, anno sequenti, feria tertia ante dominicam *Reminiscere* dictam, huius ipsius fecere assensu.

Norimbergæ fœderi de pace publica nomen dat.

43) Isto alioquin, quem modo dixi, anno (MCCCLXXXIII) Norimbergam, quo non plures solum Principes & Episcopi, sed ipse etiam Imperator Wenceslaus venerat, concessit. Cum enim in vrbibus seditio sæuiret, in agro vero cædes & latrocinia impune quotidie patrarentur, morbo isti quærendum erat remedium. Actum igitur ibi de fœdere ad eam rem feriendo; quod tandem, qui conuenerant, V Id. Martii in hanc inierunt sententiam; se communibus armis libertatem aduersus immanem prædonum impotentiam & quorumcunque hostium impetum defensuros, nec quemquam facinorosorum suis in terris amplius toleraturos. Pluribus id memorat *Hofmannus* annal. Bambergens. lib. V § XII p. 215; *VVenckerus* vero tabulas, quibus id com-

comprehenſum, exhibet in præſidiis rerum Germanicarum n. XLII p. 233 & ſeq.

Rupertum Palatinum in fœdus iſtud recipit

44) Fluctuantibus autem Imperii rebus vt fidem, virtutemque hoc cumulatius præſtaret, non longe poſt comitiis Principum Herbipoli celebratis interfuit, & ſi quid aliud, certe ſalutis publicæ pacisque communis cordi habuit ſtudium. Inter alia Rupertum iuniorem, Comitem Palatinum Rheni, Ducem Bauariæ, in fœdus Norimbergæ initum ſollemni recepit ritu; vt tabulæ Martis poſt diem Georgio martyri feſtum datæ, quas in codice Diplomatico exhibui, oſtendunt.

G. de Zeiskam fata perſcribit.

45) Tam effuſa vero tum temporis prædandi atque omnia vaſtandi erat licentia, vt nullus fere honeſtati ac pietati amplius eſſet locus. Singulari id per eosdem dies apparuit exemplo. *Georgium* de *Zeyskam*, vetuſta, nobilique proſapia virum, id genus maleferiati prædones, inimicitiis ne verbo quidem ante denuntiatis, comprehenſum coniecerunt in vincula, periculoque capitis quam atrociſſimis comminationibus intentato coegerunt, vt iurato ſponderet, ſe haud enuntiaturum, a quibus in captiuitatem fuerit ductus; & ſi quis ex ipſis forte caperetur, iure iurando interpoſito ſe negaturum, non eſſe eum ex illorum numero, a quibus per vim captus ac in catenas coniectus fuerit. Nemo fere credidiſſet, homines eſſe, qui tam improbe omnia iuris & pudoris repagula perfringerent; & tamen Georgii conſanguinei & amici in hoc ipſo conuentu Principibus, Comitibus, aliisque Imperii Ordinibus, id genus reperiri, ſatis dolenter querebantur, ſupplicantes, vt Georgii cauſſæ & honori ſubuenirent. Quod & factum. Nobiles ipſi, qui aderant, aderant autem numero plures, omnes honoratæ militiæ inſignibus illuſtres, cum nobilitatem ex virtute æſtimarent, lata publice præſentibus Imperii Ordinibus cenſebant ſententia, Georgium turpiſſimo auctoramenti nexu haud teneri, cum ſacramentum non debeat eſſe vinculum iniquitatis, & ſi enuntiet eos, periurii perpetrati minime poſſe coargui. Perhibet id Adolfus, & ſe præſente ita iudicatum eſſe, litteris, quas in codice Diplomatico dedi, ſexta poſt BB. Philippi & Iacobi Apoſtolorum memoriam feria ſignatis, teſtatur.

monetur, vt Sponheimenſi ferat ſuppetias.

46) Ne vero intra ſola verba ſtaret, quod fœdere icto inter ſe ſtipulati erant Principes, *Rupertus* Comes Palatinus Rheni & Princeps Elector, quum paucis poſt diebus *Nicolaus* de *Hunoldſtein Ioanni* Comiti Sponheimenſi ſe hoſtem profeſſus eſſet, Adoltum monuit, vt Ioanni, pacis publicæ ſocio, quantocius contra Hunoldſteinium ferret ſuppetias; quas ipſum ex lege fœderis eidem portaſſe, nullum eſt dubium. Ruperti monitorias, ſi velis, legere poteris, in codice, quem ſæpius iam dixi, Diplomatico.

Vinſtingenſi partem feudorum Brumat. confert

47) Anno poſtero, qui MCCCLXXXIV fuit, dum Bruchſalæ agebat, feria quarta Pauli ad Chriſtum conuerſi memoriam ſecuta dimidiam partem oppidi *Brumat*, quam *Henricus* & *Conradus*, Dynaſtæ Liechtenbergenſes, in dominium Sedis Moguntinæ paulo ante reiecerant, *Vlrico* Domino *de* Vinſtingen, eiusque heredibus feudi titulo, vna cum omni iure, quo Liechtenbergenſes eam tenuerant, contulit, rituque conſueto conceſſit.

caſtri Leyen vſum ſibi conficit.

48) Dein liberum vſum caſtri *Leyen*, quod iſtis temporibus haud in vltimis habebatur, eodem modo, quo biennio ante caſtri Wartenberg, ſibi peperit, vna cum facultate, in hoſtem quemuis, excepto duntaxat *Henrico*, Comite Sponheimenſi, *Domino loci directo*, inde pugnandi. Litteris, quibus id continetur, nomen præfixere *Ioannes* de *Bleinichen*, *Emericus Roſt* Marſchalcus *de VValdeck*, *Ioannes* & *Lampertus Fauſt*, fratres, *de Stromberg*, Milites, *Philippus* & *Fridericus Falyſen* de *Leyen*, fratres, *Henricus* & *Brennerus* de *Stromberg*, fratres, *Henricus*, *Egenolfus*, *Viricus*, *Philippus* de *Leyen*, fratres, *Georgius* & *Fridericus* de *Leyen*, fratres, dicti *Capelle*, *Philippus* de *Ingelheim*, & *VVilhelmus* de *Bleychen*, Armigeri, Caſtrenſes loci. Datæ ſunt peruigilio Ioannis Baptiſtæ.

fœderi ciuitatum ſubſcribit.

49) Inde Martis poſt D. Iacobi ſollemne vna cum aliis Imperii Principibus fœderi, quod ciuitates quædam inierant, Wenceslai Imperatoris opera, nomen dedit, ac tabulis publicis, quas apud *Dattium* * rerum Germanicar. lib. I cap. VIII p. 54 & ſeq. nec non *VVenckerum* in præſidiis rerum Germanicarum n. XLIII p. 246 legere eſt, ſe cum illis paci publicæ annis tribus proxime ſecuturis ſecundum pacta conuenta conſulturum recepit.

* *Apud quem tamen male pro* Adolfo Rudolfus *legitur.*

cum Balthaſare Thuringiæ Landgrauio fœd. ferit.

50) Erat autem ei in animo, bello petere *Hermannum* Haſſiæ Landgrauium. Hinc poſt anni ſequentis MCCCLXXXV initia cum *Balthaſare* Landgrauio Thuringiæ nouum icit fœdus. Concordiæ id non ſolum erat, ſed mutui etiam *per Thuringiam*, *Saxoniam*, *VVeſtphaliam*, *Eichsfeldiam*, *Franconiam*, *& Haſſiam*, *Ameneburgum & Battenburgum* vſque auxilii. Excepti tamen, aduerſus quos alter in alterius partibus eſſe nolebat, *VVilhelmus* ſcilicet & *Georgius*, Marchiones Misniæ, *Nobilitas* ditionis tum Moguntinæ, tum Thuringicæ; ſpeciatim vero, ex parte Adolfi, *Abbas Fuldenſis*. De cetero condictum, fœdus hoc quatuor duraturum annos. Quæ omnia in litteras relata die, qui cathedræ Petri agebatur feſtus.

ei feuda concedit.

51) Ei dein vt gratum faceret, ſecunda poſt dominicam *Inuocauit* feria non modo conſenſit, vt coniugi *Margaretæ* bona Archiepiſcopatui Moguntino iure clientelari obnoxia, caſtrum ſcilicet & oppidum *Gotham*, caſtrum *Tonenberg*, & oppidum *VValthershuſen* dotalitii loco, ſiue ad vſum fructum viduitatis tuendæ cauſſa adſignaret, verum etiam hæc loca Margaretæ vna cum omnibus bonis & iuribus ritu fiduciario contulit; Curatoris item partes ſibi ab ea delatas libens in ſe ſuſcepit. Plenius id docebunt tabulæ, quas ceteris in codice noſtro intexui.

locis in Haſſia & Thuringia Me-

52) Inde in Eichsfeldiam perrexit, & locis in Haſſia & Weſtphalia Moguntinis *Conradum Spiegel* Præfecti ſupremi titulo impoſuit;

gũtinis præfectos dat.

fuit ; *Henricum* vero iuniorem , Militem , & *Dietericum* de *Hartenberg* , Ruſtenbergæ & Satrapiis in Saxonia & Thuringia Moguntinenſibus. Cum enim bellum animo agitaret, peropus videbatur , viros iis præficere in armis exercitatos , quo minus in hoſtis deuenirent poteſtatem.

Epiſcopatui Spirenſi Gemingenſem præficit.

53) Ex Eichsfeldia conceſſit Lanſteinium. Tum autem loco *Vlrici Hohenloenſis* Epiſcopatui Spirenſi præfecit *Ioannem* de *Gemmingen*, virum & nobilitate & virtutis laude in paucis clarum. Superant enim litteræ , feria ſexta ante almam Pentecoſtes ibidem datæ , quibus Præfectis , Vaſallis , ciuitatum Conſulibus , Scultetis , ceterisque omnibus , qui ditioni Sedis Spirenſis ſubditi erant , iniungit, vt ei dicto audientes ſint.

Hersfeldenſes ſuſcipit in tutelam.

54) Aliquot diebus interiectis Hersfeldenſes ſimiliter , vt ante Fuldenſes , ſuam in tutelam recepit. Fecit autem id , quantum coniicere licet , vt Haſſum hoc acrius armis poſſet perſequi. Cum enim ſalutem eorum ſe propugnaturum promitteret , liberum ſibi caſtrorum æque ac oppidorum dominio Hersfeldenſi ſubiectorum vſum ſtipulatus eſt. Additum , ex pacto quidem Abbati integrum eſſe , vt caſtrum *Eyche* incolat ; id tamen , ſi res ad bellum aduerſus Haſſum & ciuitatem Hersfeldiam deueniret , *Hermanno* de *Baumbach* , Hoſpitalario , *Conrado* de *Rumrod* , & *Hermanno* de *Volckershauſen* tradendum , qui id Adolfo toties , quoties e rerum fuerit vſu, patefaciant , & id ſe facturos , iurato promittant. Litteris hæc conſignata Aſchaffenburgi die B. martyri Bonifacio feſta.

Hennebergenſis conducit operã.

55) Præter Equites autem Nobilesque , ſcientia rei militaris ac armorum aſſidua tractatione celebres , quos magno numero in commilitium ſibi adſciuerat , *Henricum* etiam, Comitem Hennebergenſem , fœdere arctiore ſibi iunxit ; conſtituto ei mille ſexcentorum florenorum ſtipendio ; de quo *Friderico* Domino *de* Lieſperg , *Eberhardo* & *Godeſchalco* de *Buchenavv* , *Rorico* & *Ioanne* de *Eiſenbach* , *Simone* de *Hune* , Militibus , *Eberhardo* de *Vechenbach* , Vicedomino Aſchaffenburgenſi , eiusdemque filio *Eberhardo* , obſidibus datis , eidem cauit. Pactionis huius litteræ datæ Eltvil , ipſo die Albani.

in Haſſiam mouet.

56) Copiis dein contractis in Haſſiam irrupit , ac tanto omnia terrore compleuit , vt Landgrauius , rebus ſuis diffidens , bellum XX florenorum millibus redimeret. Quum vero tantam æris ſummam tam cito conficere haud poſſet , Adolfo in ſecuritatem oppoſuit caſtra, oppidaque *Grevenſtein* , *Ymenhuſen* , & *VVolfhain* ; eaque *VVernhero* de *Falckenburg* , Militi , *Friderico* de *Hertingshauſen* , *Ioanni* de *Falckenburg* in *Denſpurg* , & *Cunzmanno* de *Falckenburg* , Wernheri filio, commiſit, vt Adolfo ea traderent , ſi ad natalitias Domini ferias iſta XX florenorum millia haud expediret ; reſeruauit tamen ſibi, cum id faceret, poteſtatem ea reluendi ; quam etiam Adolfus ei conceſſit. *Miſcella* nobis ita rem referunt ; *Anno MCCCLXXXV in æſtate inſequente Adolfus Archiepiſcopus cum Othone Duce ... & multorum aliorum Principum & Baronum .... intrauit terram Haſſiæ contra Hermannum Landgrauium , & obſedit oppidum Caſſel , & cum ibidem propter firmitatem trium oppidorum Caſſelenſium non proficeret, circumuallauit Archiepiſcopus oppidum Ymenhuſs. Oppidani & quidam Nobiles , & multi ruſticorum viriliter ſe defenderunt , & multa incommoda inimicis intulerunt. Tunc Dux prædictus iaculis igneis in oppidum miſſis .... totaliter oppidum combuſtum eſt , & perierunt in eo circa quinque millia hominum , & pauci euaſerunt.* (Conf. *Gensbein* faſtorum Limpurgenſium § CLXIII p. 91) *Tunc Landgrauius , timens ſimilem cladem aliis ſuis oppidis imminere , ad gratiam Archiepiſcopi & Ducis ſe .... dedit pro ſolutione XX millia florenorum pro expenſis Archiepiſcopo , prius poſitis in pignus tribus ... & ſuſcepit feudalia ab Archiepiſcopo , & homagium ſibi præſtitit , & ſic receſſerunt ab eo.* Conf. *Dilichius* chron. Haſſiac. parte II p. 217. Sed iuuabit inſpicere tabulas , quas dedi in codice Diplomatico.

Dignitatem Cardinalitiã reſpuit.

57) Ceterum Adolfus Vaticani ſenatus purpuram ſibi per hos dies ab Vrbano alios inter oblatam reſpuit. *Theodericus* a *Niem* lib. I de ſchiſmate cap. XLIII. Vt enim per Moguntinenſem , quem ille nominat, Ludouicus intelligatur Miſnenſis , temporis haud admittit ratio , vt ſupra iam dictum. *Dignitate* , ait *Palatius* l. d. col. 65 , 66 , *ornatus ab Vrbano VI ſpreuit — de hoc Cardinali nulla mentio apud Panuinium.*

Homagium recipit in locis ſibi oppoſitis.

58) Quum vero ſummam æris promiſſam ad tempus conſtitutum Hermannus haud explicaſſet , Adolfus ſub principium anni ſequentis MCCCLXXXVI caſtrorum , oppidorumque dictorum , *Grevenſtein* , *Ymmenhuſen* , & *VVolfhain* , ciues ac incolas , ex pacti lege , ſacramento in ſua verba adegit, ac quo minus ſubuererentur , in poſterum ſeſe deteriore futuros conditione , ſimul teſtatus eſt , ſe iis conſuetudines ac libertates permiſſurum , quas ſibi peperiſſent.

legatos mittit ad conuentũ Herbipolenſem.

59) His peractis ex Haſſia conceſſit Heiligenſtadium. Vbi cum ageret , appropinquabat dies conuentui Principum Herbipoli agendo dictus. Quo magis autem rei publicæ laborantis ſtatus exigebat , vt ei intereſſet, hoc minus ob valetudinis poterat infirmitatem. Miſit tamen , qui abſentis vice omnia obſeruarent , legatos & generis ſplendore & auctoritate eminentes , *Ioannem* , Comitem Naſſouium , fratrem , *Hermannum Roſt* , Decanum Aſchaffenburgenſem , *Henricum* de *Lindau* , Militem , *Eberhardum* de *Vechenbach*, Vicedominum Aſchaffenburgi , & *Henricum* de *Gunsrod* , Burggrauium Miltenbergenſem. Factum id feria quinta ante feſtum purificatæ ſemper puriſſimæ Virginis.

de noua moneta ſignanda agit.

60) Menſe Iunio cum *Friderico* Colonienſi, *Cunone* Treuirenſi , & *Ruperto* , Comite Palatino Rheni , egit de noua moneta feriunda, aurea æque ac argentea. Quæ vero de eius valore , forma , aliisque tum conſtituere placuit , cum tabulas ipſas , rei huius gratia in con-

conuentu isto confectas protulerim, operæ pretium haud est, sigillatim, fuseque recitare.

Rieneccensi nuptias conciliat. 61) Mercurii post diem Margaretæ virgini sacrum, nuptias conciliauit *Thomæ*, Comiti Rieneccensi, *Ludouici* & *Kunigundæ*, natu Comitis Sponheimensis, filio, cum *Elisabetha*, filia *Hermanni*, Comitis Hennebergensis, X M librarum Halensium doti dictis.

Gerolsteinio castri statuendi licentiam dat. 62) Dein *Philippo* de *Gerhartstein* * permisit, vt monti *Hanenberg* dicto (*obvvendig Gerhartstein*) castrum imponeret; ea tamen lege, vt id postea feudi siue clientelæ titulo a Sede reciperet Moguntina, ac sibi suisque in Archiepiscopatu successoribus ad liberrimum ingressum pariter ac egressum semper patefaceret. Tabularum datum est; *Pinguiæ feria quarta post diem B. Remigii.*

* hodie *Gerolstein.*

fraternitatem Moguntinam confirmat. 63) Mox ad religionis proferendæ conuersus opera, fraternitatem, quam sex ante annis Canonicorum quidam & Vicariorum ad ædem maximam instituerant, eorum rogatu non sua solum firmauit auctoritate, sed largis etiam noxarum condonationibus omnibus vere pœnitentibus, confessis, suoque constitutis temporibus officio fungentibus, indultis ac concessis, reddidit illustriorem. Litteras, quibus hæc Eltuillæ d. X Octobris consignari iussit, quære in codice Diplomatico.

fœdus contra Hassum init. 64) Interim variis de caussis rursum cum Hermanno dissentire cœperat. Quare anno postero MCCCLXXXVII, cum *Othone*, Duce Brunsuicensi, & *Balthasare*, Landgrauio Thuringiæ, nouum iuxta arctissimumque aduersus ipsum fœdus in hæc feriit capita; Alter alterum aduersus Hermannum consilio, armis, milite, castris pro viribus iuuet. Castrorum, oppidorumque, quæ vel vi vel deditione in suam redegerint potestatem, dimidiam vnam accipiat Adolfus, quadrantem pro se, quadrantem pro ecclesia Moguntinensi: dimidiam alteram Balthasar pro se, suisque. Quod si mortem obeat Landgrauius Hermannus, priusquam castris oppidisque Hassiacis potiti essent, vnicuique integrum sit, pro suo agere iure, modo alteri haud sit impedimento. Prædam inter se diuidant pro numero militis, quem quisque aduersus hostem eduxit. Otho litteras, quas de homagio ab Hermanno accepit, adseruandas tradat Henrico, Comiti Hoensteinensi; Henricus toties & Othoni & Balthasari concedat, quoties iis opus habent; receptas studiose, vt antea, custodiat; Hermanno satis functo sine mora eas Othoni reddat, vel liberis eius ac heredibus. Acta hæc Eschwegæ Iouis post festiuitatem annuntiatæ salutis (*den nechsten Donerstag nach vnser Frawen tag* der Clybē, *den man nennet zu latine* Añunciationis)

Veldentino itidem conciliat nuptias. 65) Inde feriis Pentecostalibus appropinquantibus *Henricum* iuniorem, Comitem Veldentinum, *Henrici* filium, eadem, qua superiori anno Rieneccensem, sibi obligauit beneuolentia. quippe vna cum Ruperto Palatino pronubi egit partes, conciliata ei *Elisabetha*, *Dietheri* Catimelibocensis filia. Loquuntur id *Dietheri* litteræ, pridie Pentecostes datæ, quarum partem adducere non ab re erit; *VVir* Dyether, *Graf zu Cazenelenbogen, irkennen offentlich an diesem brieve, vnd thun kund allen Luten, die yn sehend oder horent lesen, als der Ehrvvurdig in Gott Vater vnd Her, Her* Adolf, *des H. Stuels zu Mentze Erzbischoff —— Vormunder des Stifts zu Spire, vnd der Durchluchtigst Furst vnd Her, Her* Ruprecht, *Pfaltzgraffe by Ryne vnd Hertzog in Beyern, der elter, vnsere liebe gnedige Heren, getadinget, beredt, vnd gemacht hant zuschen vns mit dem Edlen* Henrichen, *Graven zu Veldenze, daz vvir yme die Edlen* Lyssen *vnser lieben Dochtere zu einer elichen Husfravven sollen geben; also geben vvir yme dieselben* Lyssen *vnser Dochter, mit crafft dies Briefs zu einer elichen Husfravven, vnd dazu mit yr vier tusend gulden guter geber Menzer vverung* &c. *Datum vff den Pfingstabend* 1387.

66) Rebus inter hæc omnibus comparatis, *Hermanno* litteris, quas diffidationis vulgo vocant, missis bellum denuntiauit. Quas, cum his illustrandis inseruiant, huc afferre placet. *VVisset, Hochgeborner* Hermann, *Landgrave zu Hessen, vmb solich vnrecht, gedrang, vnd gevvalt, die yhr vnd die uvveren legent an vns, vnsern Stifft, Lande vnd Vnterthane, geistlich vnd vverntliche, daz vvir* Adolf, *Erzbischoff zu Menze uvver vnd uvver Stedte, Slosse, Lande, vnd Lude viend syn vvollen, vnd vvollen des vnser ere bevvart han, mit vhrkund dies Briefs versiegelt mit vnsre Insiegel an ende dieses Brieves gedruckt. Datum Eltvil dominica proxima post Assumpt. B. M. V. anno Domini MCCCLXXXVII.* *Landgrauio bellū indicit.*

67) Hassiam dein hostiliter ingressus, lateque omnia populatus, oppida Rotenburg, Melsungen, Gudesberg, aliaque expugnauit; quin Hermanno tanta institit contentione, vt res in prouerbium abierit. *Hassiam inuadit.*

Ein sprichvvort vvard; *Bischoff* Adolf
Der beisset vm sich, vvie ein vvolf.

Auctor *historiæ de Landgrauiis* cap. CXXIX p. 947; *Anno sequenti idem* Balthasar *intrauit iterato Hassiam cum Episcopo Moguntino, & cum* Othone *Duce de Brunschvvig, qui dicitur vulgariter* von der Leyne, *& ceperunt ciuitates* Rotenburg, Milsungen, Nidenstein, *& plures alias ciuitates igne destruxerunt, & durauit predicta discordia pene tribus annis.* Plenius aliquanto *Miscella* nostra; *Anno MCCCLXXXVII in æstate iterum* Adolfus *Archiepiscopus cum Marchionibus Misnensibus & Duce Saxoniæ* *, *intrauit terram Hassiæ, quia Landgrauius irritum tenuit, quicquid antea promisit. Et Archiepiscopus cum suis auxiliariis expugnauit oppidum* Rodenburg, *cum suo castro firmissimo; item oppidum* Melsungen; *item oppidum* Gudesberg, *quod omnino fuit combustum, murique subuersi; item oppidum* Nydenstein; *item castrum* Falckenstein *prope dictum oppidum; etiam obsessum fuit oppidum* Cassel, *sed non expugnatum. Et tandem treugis factis, & datis obsidibus recesserunt ad sua; retentis scilicet ab Archiepiscopo in sua potestate oppidis expu-*

* *l.* Brunsuicensi.

expugnatis in hoc anno. Conf. *Gensbein* l. d. § CLXVI p. 92.

Quod Adolfus *ipſe in re fuerit præſenti, teſtantur tabulæ de caſtro* Wangenheim *a* Friderico *de* Wangenheim *feudi oblati titulo recepto; quippe quarum clauſula ita habet*; Datum in campis prope Furſchuze, feria ſecunda poſt diem natiuitatis B. V. MCCCLXXXVII.

ad pacem pronus eſt.

68) Bene dicunt *Miſcella*, de pace tum actũ. Superant enim litteræ Adolfi, Rodenbergæ vigilia B. Matthæi Apoſtoli & Euangeliſtæ ſignatæ, e quibus patet, pro componenda pace obſides tum inter partes belligerantes datos. Dabo partem illarum, vt conſtet, quinam ex parte Adolfi & Othonis ob fidem dati fuerint. *VVir* Adolf —— *bekennen, als die Veſten* Hans Colmas, Berthold *von* * Adeleveſchin, *Rittere*, Heinrich *von* Stoghuſen, *vnd* Heyſſe *von* Kerſtelingerode, *vnſer vnd des Hochgepohrn* Otten *Herzogen zu Brunſvvig giſele vvorden ſin fur eynen frieden gen den Hochgepohrn* Hermann *Landgrave zu Heſſen, daz vvir* &c. Reliquam inuenies in codice Diplomatico.

* Adelveſen

duo init fœdera.

69) Rebus cum Hermanno compoſitis, Adolfus anno ſequenti (LXXXVIII) die Veneris poſt Simonis & Iudæ ſollemne, cum Moguntia, Vormatia, & Spira, ciuitatibus, duò iniit fœdera; vnum ad dies vitæ; alterum de agnoſcendo, quem ipſe, vna cum duobus vel pluribus Septemuiris, caſu exiſtente elegerit, Cæſare. Digna ſunt, quæ huc apponamus, tabularum, quibus id perſcriptum, verba ipſa; *VVers ſache, daſs der Allerdurchluchtigeſte Furſte vnd Here, Her VVentzeſlavv, ietzund Romiſcher Konig von dodis vvegen abeginge, vven vvir dan mit zvvein Corfurſten oder me zu eyme Romiſchen Konige kören, offruckten, vnd haben vvulden, daſs ſie den auch fur eynen Romiſchen Konig haben vnd halden ſullen vnd vvullen, vnd vns beſtecklich darinne byſtendig, beholffen, vnd geraden ſin one geverde* &c.

de adminiſtratione Epiſcopatus Spirenſis decedit.

70) Proximo MCCCLXXXIX compoſitione cum *Nicolao*, Epiſcopo Spirenſi, facta, de adminiſtratione Epiſcopatus in Nemetibus deceſſit; vt tamen Prouiſoris ſupremi partes, nec non munitiones quasdam ad dies vitæ ſibi reſeruarit; tum vero hanc etiam Nicolao tulerit conditionem, vt Beneficiariis ac Caſtrenſibus Epiſcopatus Spirenſis, clientelas ſuas ac iura recognoſcentibus, ſub fidei datæ vinculo quam accuratiſſime præciperet, ſibi Adolfo reuerenter pareant, itemque ad imperandum adſint. Res peracta Heppenhemii *die poſt dominicam* Oculi *tertia*, vt tabulæ, quarum in codice Diplomatico apographum dedi, teſtantur.

Rotenburgenſib. & Windsheimenſib pacẽ conciliat.

71) Tum vero in pacificandis vicinis poſuit operam. Occurrebant primo ciuitates Imperii liberæ, *Rotenburgum* ad *Tubarim* & *VVindshemium*. Dein *Moguntia*, *Vormatia*, *Spira*, *Francofurtum*, ceteræque in Wetterauia, Rheni tractu, & Alſatia fœdere inito iunctæ. Quod ad *illas*, armis premebantur a Gerhardo, Antiſtite Herbipolenſi. Cauſſa erat, quod *Rotenburgenſes* aſſumpta iuris dicendi poteſtate iudicium in eccleſiæ Wirzburgenſis homines inſtituiſſent; *VVindshemenſes* illorum iuuiſſent conatus. Belli vim cum ſuſtinere haud poſſent, de pace quantocius impetranda cogitabant, ſuaque deſideria *Adolfo* exponebant & *Lamberto* Præſuli Bambergenſi. Neuter illis deeſſe voluit. Partibus itaque ad Id. April. vocatis, rem ad pacis deduxere conditiones. *Friſeus* chron. Wirzburg. in *Gerhardo* cap. XXII & XXIII p. 663 & ſeq. *Hofmannus* annal. Bambergenſ. lib. V § XVIII p. 218.

ciuitatibus itemfœdera iunctis.

72) Quod ad has, anno illæ ſuperiori, ciuitatum Sueuicarum impulſu, Ruperto Palatino bellum intulerant; ſed magno ſuo malo; quippe inſigni clade ab eo affectæ. Pacem igitur expoſcebant. Expoſcentibus cum Ruperto conciliandam ſtatuere, quorum implorauerant opem, *Adolfus* videlicet, *Lambertus*, quem modo dixi, Præſul Bambergenſis, & *Sifridus* de *Venningen*, militiæ Teutonicorum per Germaniam Magiſter. Compreſſis igitur armorum motibus, eas cum Ruperto rurſus in gratiam redegere. Factum id Aſchaffenburgi, vt tabularum habet clauſula, *dominica proxima poſt diem S. Martini.* Conf. *Lehmannus* l. d. cap. LXIX p. 767.

portorium & vectigal inſtituit.

73) Inter hæc *Keltersbaci* portorium, cum maxime vero *Hœchſtæ* ad Mœnum vectigal inſtituit. quod tamen, cum vtrumque ſine Cæſaris ac Imperii conſenſu exercere cœpiſſet, Wenceslai compulſus mandato, poſt haud amplius exegit. *Lehmannus* l. d. cap. LVIII p. 731.

Erfurti academiam ſtatuit.

74) Sidere contra longe feliciori, prouehendis litterarum, artiumque bonarum ſtudiis Erfurti his diebus academiam ſtatuit, ſiue, vt *Gudenus* loquitur, *ſacrauit.* quem, cum inſpici mereatur, l. d. § XVIII p. 121 conſulas.

Iudæis Erfurtenſib. & Mülhuſanis priuilegium indulget.

75) Fuit ibi, & ſub anni MCCCXC initium Iudæis Erfurtenſibus & Mülhuſanis eandem, quam nouem annis ante Iſenacenſibus, Gothanis, ceterisque, fecit gratiam. illis quidem ad ſex, his vero ad decem annos. Vtrisque ſimul conſtituit Iudices; Erfurtenſibus Prouiſorem alodii Erfordienſis; Mülhuſanis Præpoſitum *vff vnſer Fravven Brucken.* Tabulæ vno fere eodemque tempore ſignatæ ſunt. quæ Erfurtenſibus datæ, dominica diem tribus ex Oriente Magis feſtum ſecuta; quæ Mülhuſanis, feria poſt illum ſexta.

76) Poſtea die Agnetis virginis litteras in cauſſa quadam feodali ſiue beneficiaria edidit; die vero XXIV Ianuarii rationes a *Rudigero* vom *Hayn*, Prouiſore Erfurtenſi, de receptis duobus ſubſidiis maioribus accepit, *Ludouico* de *Bensfurte*, Decano Rotenbergenſi, & *Henrico Rabenold*, culinæ Magiſtro, præſentibus. Vtrumque publicis annotatum tabulis, quas inſpexi.

77) Mox paullo Erfordia diſceſſit, & Heiligenſtadium delatus, inopinate graui morbo oppreſſus, vitam cum morte commutauit, vt ſequitur. Poſtquam enim auctor narrauit, Ludouicum Miſnenſem fato ſuo functum eſſe, ita pergit;

V Ex hoc tempore caruit æmulo Adolphus, vſque ad vitæ terminum, qui ei fuit Heiligenſtadii anno MCCCLXXXVIII, ſecundum MSL, & Bruſchium: ſecundum vero noſtrum MS, MCCCXC; eius tamen cadauer Moguntiam vectum. Edit. I pag. 863

quo die obierit. 1) Obiit autem die VI menſis Februarii; id quod pro teſtimonio tum *necrologium* maioris p. 63 ad VIII Id. Februar. loquitur, tum *epitaphium*, lapidi tumbæ impoſito inciſum, quippe quod ita habet: *Anno Domini MCCCXC, ſexta die menſis Februarii ob. Reuerendus in Chriſto Pater ac Dominus, Dominus Adolphus* &c.

quo item anno. 2) Et quidem, vt modo audiuimus, anno MCCCXC. Vnde corrigendi, præter *Bruſchium* & *Latomum*, quos auctor iam citauit, *Trithemius*, qui chron. Hirſaug. parte II p. 285, & Sponheimenſi p. 336 anno MCCCLXXXVIII mortuum ſcribit; tum vero auctor *hiſtoriæ Landgrauiorum*, & *chronici terræ Miſnenſis*, quorum vterque anno ſequenti MCCCLXXXIX ipſum e vita tradit exceſſiſſe; *ille*, cap. CXXXI p. 948, *iſte*, p. 49.

haud placide obiit. 3) Tum vero exitu haud adeo facili atque placido. Auctor modo memoratus *chronici terræ Miſnenſis* l. d. *Rediens de Erfordia grauiter infirmari cœpit in Heilgenſtadt; oppreſſus tanto malo infirmitatis, vt omnes ſui fugerent abeo, immo, proprius germanus, ſicque miſerabiliter exſpirauit.*

ſepelitur Moguntiæ. 4) Heiligenſtadio Moguntiam deuectus, ſepulturæ locum nactus eſt in baſilica maiori cathedram inter ordinariam & ſubſellium Electorale, in media via verſus aram, B. V. adſumtæ ſacratam honori.

VI Exorto autem inter Vrbanum VI & Clementem VIII ſchiſmate, a neutro ſibi, quoad concordia eſſet, pallium petendum ſtatuit Adolphus*. Expreſſerant a Wenceslao Rege in Eccleſiaſticæ libertatis detrimentum pragmatica quædam Moguntinenſes. Verum vt ab eodem Wenceslao, eiuſque ſucceſſore Ruperto reuocarentur, perfecit Archiepiſcopus †.

* At vide, quæ ſupra n. 19 ad an. MCCCLXXIX dixi.

† Is haud eſt Adolfus noſter, ſed alius. Adolfus namque decem ante annis obiit, quam Rupertus, Wenceslao exautorato, ſummæ rerum impoſitus eſt.

VII Refert MSL, fuiſſe *diligentem œconomum*, & ex frumento ac vino reſarſiſſe illata eccleſiæ Moguntinæ damna†: idemque & alter MS, *bello fregiſſe Haſſiæ Landgrauium Hartmannum, adeo vt hic tamquam eccleſiæ illius vaſallus & Marſchalcus, Fridslariæ, propriis manibus, in equorum pabulum, auenam publice dimenſus ſit* *: habuiſſe etiam aliquid litigii cum Ruperto forte Palatino: ſed quod, amicorum Principum opera, compoſitum ſtatim fuerit.

Sedi magnifice præfuit. † 1) *Miſcella* noſtra; *Sexta die ante Dominicam* Exurge *obiit Adolfus de Naſſavv, Archiepiſcopus Moguntinus; vir magnanimus, religioſus, & potens. Rexit eccleſiam Moguntinam honorifice ſuis temporibus. MS,* qui Moguntiæ ad ædem metropolitanam eſt; *Ob. MCCCXC menſe Februar. & ſuis temporibus ſtetit eccleſia Moguntina in robore & optima pace.*

vt Landgrauium compeſcuerit. * 2) Caſtigauit hic Serarium *Immanuel VVeberus* parœmiar. hiſtoricar. diſſertatione II, parœmia I in not. p. 6 & ſeq. quem ideo audire iuuabit: *Notandus hic eſt error* Serarii, *rerum Mogunt. lib. V in vita Adolfi p. 863, qui pro* Hermanno Hartmannum *poſuit. Nuspiam enim hoc nomine Haſſiæ Landgrauius in genealogia reperitur. Et putidum mendacium eſt, quod ex* MS *quodam ſubiicit, bello fregiſſe Haſſiæ Landgrauium Hartmannum, adeo, vt hic tanquam eccleſiæ illius Vaſallus & Marſchalcus, Fritzlariæ propriis manibus in equorum pabulum auenam publice dimenſus ſit. Contrarium enim annales noſtri teſtantur, & de compoſitione belli iſtius hæc refert* auctor manuſcr. anonymus *modo laudatus:*

» Auf daſs man nun der Feind abkähm,
» Vnd das Land nicht mehr ſchaden nehm;
» Landgrav Hermann verſprechen thut
» Wol zwanzig tauſend Gülden gut
» Zu Mainz dem Erzbiſchoff zur Hand,
» Vnd ſetzt ihm ein zum Vnterpfand
» *Ziernberg, Wolfhagen, Grebenſtein, ** at v ſupra § 4 n. 56*
» Hierauf ſie abgezogen ſeyn.

Vtrum vero putidum mendacium ſit, quod Fritzlariæ propriis manibus in equorum pabulum auenam publice dimenſus ſit Hermannus, non huius loci eſt diſcutere. Eodem alioquin modo, quo MS Serarii, dictus *auctor mſcr.* qui ad ædem metropolitanam eſt; *Similiter dictum Hermannum Landgrauium Haſſiæ » pro nunc viuentem «, in tantum domuit, vt officio Marſchalci in cimiterio eccleſiæ S. Petri Fritzlar manibus approbabiliter cum menſuratione auenæ ſe virum alligatum & feodatarium eccleſiæ Mogunt. eſſe recognouit.* Conf. quæ ſupra n. 56 ad an. MCCCLXXXV dedi e Miſcellis.

VIII Verum hiſce miſſis, narrandum hic potius, quod ad eius, qui noſtræ cum Deo pacis & reconciliationis auctor eſt, gloriam inſignite pertinet, Moguntinæ nimirum Crucis miraculum, a *Mſcriptis* omnibus relatum, e quibus vir doctus & bonus, ab ipſo *Eraſmo* valde ſupra libr. I cap. XXXVII & XL lauda-

Edit. I pag. laudatus, *Theodericus Greſemundus*, narratiunculam, quæ ab eo in eiuſdem S. Crucis templo, voti cauſſa, fixa eſt, hodieque legitur *, collegit.

* Nunc vero haud amplius. Quod dum hic noto, ſimul moneo conferenda huc eſſe, quæ ſupra ad lib. I cap XXXI ſect. I n. VI p. 74 & ſeq. & in Schediaſmate *de S. Crucis eccleſia Collegiali* commentatus ſum.

Ea, prout etiamnum ſæpius edita eſt, ſic habet. *Anno ſalutis noſtræ MCCCLXXXIII * fuit in his regionibus homo quidam, cui nomen* Schelkropt: *de cuius origine & patria neque aliquid adhuc compertum habeo: neque magnopere attinet rimari. Humili certe genere, & ex infima plebe fuiſſe ortum, fama conſentit: ſed qui natalium obſcuritatem, veluti alter Heroſtratus, incenſor delubri Epheſiæ Dianæ, inſigni ſcelere illuſtrauit, immortali quadam infamia nominatiſſimus.*

* At confer huc, quæ attuli in dicto Schediaſmate de Collegiata ad *S. Crucem* § IX.

Hic igitur cum alioquin natura præditus eſſet maligno ingenio, factus eſt etiam vltro tam licentia, quam conſuetudine peccandi deterior. Neque flagitiis tantum, ſed etiam infamia ipſa delectatus, in luſtris & tabernis ætatem agebat. Fuit autem appetentiſſimus ludi: ex quo pleraque vitiorum genera, tanquam vermes e putri cadauere vbertim erumpunt; præcipue vero impietas erga Deum inde naſcitur: qua duce Schelkropf tantum nefas admiſit, quantum vix omnibus retro ſæculis auditum eſt. Cum enim alioquin volens pro conſuetudine ſua fortunam ludo experiri, quoſdam etiam ſui ſimiles ad eius rei concionem illexiſſet (nam fere nunquam in magna ciuitate complices peccaturo defuere) itum eſt ab illis in quoddam diuerſorium publicum ſiue tabernam ſuburbii Moguntini Filtzbach appellati. Nomen vero & ſignum ipſius tabernæ, flos erat, dicebaturque vulgo, zu der Blumen. *Cumque illic aliquamdiu taxillis luſiſſent: contigit forte, vt Schelkropf parum proſpera fortuna vſus, pecuniam fere omnem, quam habebat, perderet, multumque detrimenti (opinione ſua) acciperet: quod cum per ludi progreſſum nedum non emendaret, verum etiam immodice augeret: cæpit tandem (vti ſolebat) grauiter ſtomachari: & poſt conuicia colluſoribus dicta, Deum etiam & Sanctos blaſphemare. Sunt, qui referant, eum hac ira & impietate ſuccenſum palam fuiſſe minitatum: quamcunque Crucifixi IESV imaginem primum obuiam habuiſſet, ab ea ſe præſentis damni pœnas &*
864 *vindictam repetiturum. Quod etſi huius hominis impietati plurimum congruebat: multumque credibile eſt: tamen id pro comperto affirmare non auſim. Hoc ſane conſtat: eum a ſociis nihil pacatiore animo digreſſum peruenisſe ad ſacellum quoddam inter ædem diui Albani & hanc B. Virginis eccleſiam ſitum, vbi iam olim hæc ſimulachra fuerant repoſita. Plenus erat Schelkropf haud dubiæ impietatis: & qui ſcelus abominabile iamdudum animo conceptum mox effundere concupiſceret. Quamprimum ergo ad id ſacelli peruenit, hanc imaginem Crucifixi diſſecuit: ita vt nec vllatenus hæreret quidem. Mox diuæ Virginis, aliorumque Sanctorum ſignis cruci aſtantibus cæſim & punctim pleraque vulnera influxit. Haud abſimilis lupo, qui maiore interdum cædis libidine, quam fame percitus, in ouile indefenſum graſſatur. Hactenus Schelkropf debacchatus eſt. Quæ vero ſequuntur, ad vindictam diuinam & miraculum ipſum pertinent. Terrificus enim & admirabilis ille cruor, quem hic tibi videre licet, ſubito ex vulneribus a crudeliſſimo illo ſicario paſſim illatis effluxit: ceu non lignea ſimulachra, ſed viui homines eam iniuriam perpeſſi forent. Crederes Deum ipſum tanto ſcelere appetitum quodammodo indoluiſſe: & tam ſtupendo miraculo, veluti manifeſta doloris confeſſione, mortales ad vindictam faciendam animaſſe. Schelkropf autem iam expleta impietate ſua, ſiue nutu Dei affixus, ſiue ipſo cruoris miraculo exterritus, inde pedem non mouit, donec a ſuperuenientibus in flagranti crimine deprehenſus, & in vrbem Moguntinam captiuus deductus eſt: non iam ſuæ, ſed diuinæ iræ memor, anxiuſque metu pœnarum, quas paullo poſt dedit: non quidem flagitio ſuo reſpondentes (non enim tantæ impietati par ſupplicium excogitari poterat) ſed quas homini homines infligere debuerunt. Viuus enim in conſpectu populi exuſtus eſt, non longe ab vrbe, in eo loco, quem Iudæorum arenam vulgo appellant, quod Iudæi quondam cadauera ſua illic humare ſolerent. Hac morte impiiſſimus ille Schelkropf conſumptus eſt. Imagines vero vulneribus*

Iudē Sand *adhuc hodie*

& cruore insignes ab ædicula illa veteri ad hoc templum summa veneratione sa- Edit. I
cerdotum manibus translatæ fuerunt. Vbi in hodiernum vsque diem terrificus pag.
ille cruor visitur, & admodum religiose colitur: multique mortales varie afflicti, susceptis votis, Dei Opt. Max. clementiam experti & salutem adepti sunt.

IX Neque vero soluta ista narratione suæ adhuc erga Christum Dominum pietati satisfecit pius ille vir, sed perelegans eadem de re carmen elucubrauit, quod in eodem similiter templo visitur. sed quia longius est, & excusum prostat, paucula ex eo tantum succerpam. Cum inflictos crucifixi statuæ ictus scripsisset, pergit:

Continuo CHRISTI caput a ceruice resectum
Abstulit ense ferox: ater, miserabile visu,
Exiliit ligno cruor: vt cum viua satelles
Corpora decollat, præcisæ sanguine venæ
Exundant, animamque vomunt, largumque cruorem.
Nec tua te, VIRGO, pietas, qua protegis orbem,
Protexit: ferrum crucifixi a cæde cruentum
In te conuertit scelerati dextera Schelkropf,
Roboreumque caput rigido petit impius ense. 865
Protinus hoc etiam manat de stipite sanguis
Terrificus: verum iam cæcus ad omnia Schelkropf,
Virginis os, faciemque ferit, nec multa dedisse
Vulnera contentus, cæsim iam denique pectus
Virgineum, tanquam sensurum, fodicat: ac si
Haud dubiam inferret tam certo vulnere mortem.
Vltima sacrilegæ restabas victima dextræ,
Qui, si viuus eras, poteras trepidare, IOANNES,
Victima certa quidem: nam cur tibi parceret vni
Crudelis, qui non CHRISTO, MARIAEque pepercit?
Ergo tibi malas repetito perculit ense.
Mox nasumque, oculumque vno transuerberat ictu,
Bacchaturque ferox: sed singula vulnera versu
Quis recitare velit? potius miremur, ab omni
Vulnere purpureum subito manasse cruorem,
Seu cruor hoc, seu succus erat, similisque cruori
Stiria. Magnarum rerum hæc miracula Diuûm
Quid fuerint, aut qua ratione creentur, ad vnguem
Explorare nefas: satis est, si supplice cultu,
Et non impuro Dominum veneremur honore.
Postquam terrificum ligno manare cruorem,
Et non vana suo vidit data vulnera ferro,
Pallet, vt hiberno decussæ turbine frondes:
Et circumfudit gelidus præcordia sanguis:
Diriguitque caput, sursum intendente capillo.
Quin totus, veluti vibrata aquilonibus arbor,
Intremuit: cecidere illi feritasque furorque.
Scilicet vltrices metuebat Numinis iras.
Nec frustra: nam cum subito dare terga pararet,
Hæsit, vt arborea truncus radice retentus,
Et, tanquam Alpinæ cautes, immobilis astat

Vsque

Edit. I pag. 866

Vſque ſub aduentus hominum: miremur eundem
Ad pœnam potuiſſe rapi, & nequiiſſe moueri,
Vt pœnam fugeret: ſed ſcilicet omine tactus,
Exanguiſque metu ſtabat, tam corporis impos
Quam mentis: vel te, paricida neſarie, magni
Læſa Dei pietas, quæ temperat omnia nutu,
Siſtebat: nam quæ dederas crudeliter illi
Vulnera, non etiam te impune dediſſe volebat.
Viſum igitur multis Primoribus, igne piari
Tantum poſſe neſas, animamque expellere flamma.
Interea vt ſeri tam triſtia facta nepotes,
Vltoreſque Deos noſſent regnare per orbem,
Et non vileſcat cruor admirabilis vnquam,
In mediis neglectus agris; veneranda vetuſtas
Hæc ſimulachra crucis, hac Virginis æde recepit.
Nunc etiam horrifici miracula tanta cruoris
Relligione mouent reſides, Dominique timorem
Segnibus incutiunt, atque indurata malorum
Pectora demulcent, meritoque coluntur honore.
Hoc omnes fanum ſtabili pietate ſalutant,
Ciuica plebs, pueri, iuueneſque, virique, ſeneſque,
Matronæque, pium vulgus, virideſque puellæ.

Cauſſam vero ſuſcepti hac in deſcriptione laboris ita in extremo pandit:

Eſt mihi non ſtudium laudis: non curo placere.
Perpetuis alii ſeſe inſertare laborent
Vatibus, & vitam placituro extendere verſu.
Greſmundo ſat erit, vel ſi ſua carmina ſoli,
CHRISTE, tibi placeant. Nec enim popularibus auris
Paſcitur ingenium, quod iam tibi militat vni,
Teque ducem ſequitur, quocunque vocaueris, vltro.
Et pridem accepit depulſæ præmia febris,
Donatiuum ingens: quod ſi cumulare corolla
Vis aliqua largus, non ſit mihi gloria merces,
Non aliud quicquam dederis, quod vulgus inane
Miratur, cum te precibus, votiſque fatigant.
Te mihi da, & vacuo clemens illabere cordi.
Tu mihi pro gaza Cræſi, pro ſorte Metelli,
Pro neruis magni Alcidæ, pro Neſtoris æuo,

Quæ huc pertinere poſſint, notata etiam nonnulla lib. I cap. XXXI.

CON-